



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnis Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

9 Feb. 5 Idus Feb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](#)

174 ANNI CÆLESTIS

pingi jussa , in sinu habet parvulum  
JESUM , qui ex arcu sagittam jacula  
tur . quæ imago , cùm coram eâ orare  
B. Isaias , visa est pulcherrimo splen-  
dore de cælo illustris , auditis etiam vo-  
cibus Angelorum , Ave Regina cælo-  
rum ! canentium : accinente B. Isaias  
Monstra te esse Matrem ! Felix cælo-  
porta . Fac , ut dulcissimus parvulum  
tuus , ex arcu cordis suū , unam , ex auri  
ignito , auream & igneam sagittam  
jaciat in cor meum , & illâ exurat in  
me , quicquid illi , ac tibi displaceat  
in me !

9 Feb. 5 Idus Feb.

S. Apollonia Virgo , quæ fractis  
malis , ac dentibus excusis , per  
ignem gloriose ad refrigerium e-  
volâsti , magna Patrona contra  
dentium , capitisque dolorem . Tu  
ignes hîc passa , & inferni , & pur-  
gatorii horrendos ignes evasisti ,  
majores minoribus . Ora , ut ita cor-  
pus hoc meum amem , ut benè pe-  
netrem ; præstare , ut hîc patiar ,  
momento uno , dolorem parvulum ,  
quàm post mortem , per omnes  
æternitates , dolores , infinitate hor-  
rendâ æternos . Hîc ut benè patiar ,  
benè moriar , ora ; ut ibi vivam  
æter-

æternum, ubi nihil molestum patietur ullum unquam corpus, vel anima ulla. Amen.

S. Attracta, Virgo regia, cui S. Patritius velum, cælitus ad se missum, dedit: quæ eidem, sacris operaturo, patenam, quam non habebat, è cælo impetrâsti: quæ orando, monstrum diabolicum occidisti. occide in me, quicquid me trahit ad mortem.

S. Teliae Ep. tuo idiomate ad gentes varias locute, & ab omnibus intellecte: cuius cymbalum mirabile, sono suo, ægros curare dicebatur, & sonum, singulis horis, edere suâ sponte; sed aliquorum, in peccatis existentium, manibus contactum, illud cælestè donum amisit. Procul fac à me illos socios, à quibus deterior fieri possim.

S. Sabine Ep. cuius Vitam, in libro scriptam, dæmon dixit, esse Vitam sui adversarii capitalis: qui orans per iter, ab aquilâ, expansis alis, contra solis ardorem, protectus es: quocum noctu psallere alternis choris auditî Romæ Angeli, te apud Pontificem à calumniâ absolverunt: cui ad sepulchrum suum oranti S. Nicolaus Ep. dixit: Euge Sabine, Deus tuas preces exaudiit;

K 4                  inque

176 ANNI CÆLESTIS  
inque venerationis, corpori hi-  
meo impensæ, mercedem, hæc m-  
tibi jussit nuntiare: *In divino usq;*  
*ad obitum cultu perseverabis.* O-  
pro me, cum Sancto tuo Nicolao  
ut merear exaudiri, dum oro, &  
Sanctos colam ac imiter, atque in  
benè cœptis perseverem, & salvus  
fiam.

S. Ansberte Ep. in cuius mortui  
brachiis roseum Dominica Crucis  
signum repertum est.

S. Raynalde Ep. qui leprosum  
osculo sanâsti: super quem, sacris  
operantem, Spiritus sanctus, sub  
specie ignis, descendit: qui in cubi-  
culo, cum Dei Matre, ac SS. Agne-  
te ac Theclâ Virginibus, colloqui-  
es auditus; & ab iisdem, ac à SS. A-  
postolis Petro & Paulo, sæpius vi-  
sitatus: qui cum vestem tuam pau-  
peri donâsses, nuda tua brachia, ab  
Angelis, aureâ & argenteâ veste  
ornari sunt visa, voce de cælo audi-  
râ, quâ tua charitas laudabatur, &  
populo dicebatur: *Sic debetis è vos*  
*facere.* qui dæmonem purpuratum,  
& Christum se esse mentientem,  
fugâsti, dicens, te Christum velle  
agnoscere, non ex auro aut purpu-  
râ, sed è Vulneribus, in Cruce tol-  
eratis. Doce me Christū crucifixum  
amare;

IX FEBRUARII. 177

amare; suspectum habere, quicquid  
splendet; cum Dei Matre & Sanctis  
sancte conversari, ac eò, ubi tu cum  
illis es, pervenire.

S. Alexander, & alii triginta octo  
MM.

Sancti Ammoni, & Alexander,  
MM.

S. Nicephore M qui capite pro  
Christo plexus, eam, quam Sapri-  
cius, duri odii tenax homo, coro-  
nam martyrii, propter odium, ac-  
cipere non meruit, accepisti.

Sancti Prime, & Donate MM.  
Diaconi, dum aram tuemini, oc-  
cisi.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 44.

S. MARIA, cuius aspectu sapè in-  
flammatus Ignatius Loyola, hoc die,  
anno 1609, Beatorum catalogo est ad-  
scriptus. Munda cor meum, ut illius  
cor mundasti; & doce illud artes a-  
mandi Deum, ac te, quemad-  
modum illum docui-  
sti!

10 Feb.